

The Works of Lancelot Andrewes  
Sometime Bishop of Winchester.

Vol. IX.

Opuscula Quædam Posthuma.  
Oxford: John Henry Parker, 1854.  
Library of Anglo-Catholic Theology

## REVERENDISSIMO PATRI, D<sup>o</sup>. EPISCOPO WINTONIENSI

MISI ad te, Reverendissime Præsul, librum meum de vocatione Pastorum, cui additæ errant litteræ, quibus conabar tibi satisfacere super quibusdam capitibus, in quibus visus sum Regi Serenissimo iniquior erga Ordinem Episcopalem. Quas litteras si acceperisti, non dubito quin de me judices, ut de homine qui de vestro ordine honorifice sentit et loquitur. Non sum tam fastidiose arrogans, ut velim me opponere toti antiquitati, et rem quæ jam inde a sæculo Apostolis proximo recepta fuit in Ecclesia, ut vitiosam aut improbam aspernari. Semper putavi, inter Ecclesias sub diversa politiæ Ecclesiasticæ forma viventes, posse sartam esse et integræ concordiam. Dummodo Christus annuntietur, quails proponitur in Evangelio, et fides Christiana maneat integra et illibata. Te vero inter homines tui ordini semper feci maximi, multis de causis, quas malo apud alios quam apud te commemorare. Cujus animi mei testem mitto librum novum, quem mihi extorsit Ecclesiæ cui servio voluntas, et Jesuitæ aulici proterva insultatio. Tu obsecro, mihi esto ajdutor ad Regis animum mitigandum, ut apud se reputet, et æqua lance perpendat, non posse esse locum in Gallicis Ecclesiis, pastori qui doceret, Primum Episcoporum rem esse juris divini: sine qua non sit salvus, nec possit stare Ecclesia. Hoc asserere, nihil aliud esset quam omnes nostras Ecclesias addicere Tartaro, et in meum gregem damnationis ferre sententiam. Quod si facerem, tu ipse me censeret hominem improbe recordem, et dignum ab omnibus conspui. Sed de his κατακορως:<sup>1</sup> nam apud virum sapientem supervacanea est, in re clara et aperta, nimis operosa defensio. Deus te servet, et tuos conatus provehat, ut redundant ad Ecclesiæ ædificationem. Vale. Datum Lutetiæ, A.D. 16 Cal. Decemb. 1618. [1619?]

*Tibi addictissimus,*  
PETRUS MOLINÆUS.

---

<sup>1</sup> Abunde.